VENETIARVM
ICON.

VRBS FORTITVDINIS NOSTRÆ

In Aquis ſtat

Cui Murus ab Alto,

VENETIÆ
LEONI
SEMPER AVGVSTO
Dicatæ Suo.

DESCRIPTIO

D. MICHAELIS ANGELI MARIANI.

Editio auctior.

CONSTANTIÆ, *Superiorum Permissu.*

M. DC. VC.I.

Pro F I D E Pugnax

Almus Aliger

V I C I T L E O.

VENE-

VENETIARVM VRBEM Si ſpectes, magnificentiæ Opus ſignas in Salo, vbi *Sapientia ædificauit ſibi Domum*, ad Orbis Specimen, tùm cùm in Atilæ furorem, vt Italiæ flagellum, ex Aquileiæ Occaſu trahunt VENETIÆ Ortum, auſpicijs clarum, à Partu Virginis Anno 421; Martio quidem Menſe, ipſa DEI Hominis Incarnationis Die redempti Orbis.

Per ſeptuaginta duas breues inſulas totidem & pro Paræcijs Stantes, hæc ingens in vnum diſtincta Vrbs, à quatuor Ventis recipiens velut *DEI Theſauros* amplo, & Æquo in Situ per Lapidem concinnè Strato ſpeciem de ſe exhibet charam æquè, ac raram, ſi tot per Pontes iuncta Neptuno Tellus & ſibi, & Socio frequens colit OPTIMATVM, & Ciuium Gentes cùm Populi, & Nationum copia, & iacit Ædium pariter, & Nauium Moles hinc, indè fixas, natantesve. Vt elegans, & apta ſit Vrbis forma per Vicos, & Riuos, Pontes, & Ripas, Ædes, & Domos, Gentes, & Naues diſcretè mixta.

Sic dupla colitur Frequentia Vrbs gemino florens Statu, ad mutuam Telluris, & Neptuni Sortem, ac Regionis auram, dum ad Thetis Fluxum, Refluxumq; per ſex horas alternatim Aquæ in motu ſemper, & præ Salſedine etiam Corruptionis neſciæ, vèl inter Lacunas miram pariunt aeris ſalubritatem, cui ſat Titan, Eolus, & Vulcanus fauent; nec Aromatum Copia, quæ hic eſt ingens, minus ſeruit ad Aeris, & Vrbis Cor. Inter innumeros ferè Pontes, qui ex Lapide ſuper tot Riuos iactant in Curuitate robur, vt Vrbi pareant, omnes Aquarum fluxu gaudent, ac Gentium paſſu, nec non Nauicularum Curſu; Sed inter VENETIARVM Pontes Structura,

A &

& Frequentia celebres, Triumphalem velut Arcum mole, ac proceritate insignem suspicit Riuus Altus. Riuus Sanè, qui GRANDIS inter Riuos dictus totam placidè pertransit Vrbem amplo; sed flexuoso Cursu, vt rectiùs tot Nauicnlas, & Puppes ferat, totq; Palatia signet, quæ hinc indè prominent.

Tot inter Vrbis Plateas, vulgò Campos, qui per septuaginta duas Paræcias panduntur passim, Marcianum recolis amplum velut Simmetriæ Theatrum Concursu frequens, vndiq; Prospectu patens, & ornatu nitens, tùm Ædium fastu, tùm Festi euentu, et Porticu altè florens terni regij Vexilli ad auram; & insignis Horologij ad signum, cui præsunt Mauri, ad prospectum geminæ ingentis Columnæ, quæ in Plateæ fronte velut Monstrum Marmoris assurgit Mari. Nouum Creatum Ducem Trlumpho excipit Marcianus hic Campus, ad regium pro Populo Munus, & inseruit jugiter Optimatum Congressui, vulgò Brolio, ad Vrbis Bonum Stola Vestis fultum, atq; Virtutis. Hocce in Plateæ Campo Læta cernis per annum Tauri Spectacula, Ferarum Monstra, Circulatorum Commenta, & Bacchi profusè Ludos, nec non celebre Mercurij, & Iunonis Emporium. Sed & Procuratorij Fastus Triumphum excipit is ipse Campus, post longam retrò viam egregiè instructam, & Pompis consitam, ad Curiositatis, & lætitiæ nutum. Cæterùm ampliori huic Plateæ Campo arridet, inter alia, Templi Diui MARCI Fastigium, quod per Columnarum velut exurgit Nemus pretiosum nimis, si tot per Piramides, & figuras marmore, auroq; distinctas effulget altè, dum in Apice aureus, ad plausum regnat LEO, & inferius quatuor ex Metallo Corintio effrenes exiliunt Equi, ad Vrbis nempè auream Libertatem.

Quod

Quod si prospectu, Spectaculis, & Festis gaudent & alij Plateę Campi (qui omnes per Puteum Aquam in sinu ferunt dulcem) VENETIIS, vt est iuncta Neptuno Tellus, præter seriam viuendi, ac regnandi Normam, Vtriq; per annum arrident Elemento curiosæ, ac feruidæ per iocum Pugnæ. Præter tot Campos, seù Plateas, extant Veneta in Vrbe Horti complures, Vineæ, & Viridaria, quæ vigent lætè, nimirum inter Religiosa Claustra, & Nobiliores Ædes, vt sic Maritimo in Situ, & quidem Palustri, post Aquæ dulcis copiam, & Aeris Clementiam regnet & amœnitas, non sine fructu, dum tot Arbores, Plantæ, Virgulta, quæ frondescunt satis, haud parum fœtant in Ficu præsertim, Amygdala, Pomo, Pruno, Pyro, Persico, & Pepone; vt signanter id viget in Vrbis Insula, cui Iudecæ nomen. Florum verò Germina, quæ Veneto vigent Solo cuiusq; propè generis & peregrina, Corde, ac Vultu per annum rident & extra tempus; hinc ad Artis vnà, & Naturę vim, vèl ipsa Hyemis tempestas, rigidi algoris in spretum, ceù *Ver* signat Fasciculis, & Corollis præstans; vt quà Violis quà Narcissis, quà Rosis enixè Aras instruat, & blandè Puellas ditet. Sic VENETIIS Flores assiduant nè Apes desint, quæ tamen haud facilè degunt in Maris ora: Atqui VENETIIS nouiter regnat et Apis, vt regnat, Bombix, mirè *I*nstinctu fauente suo. Inter VENETIARVM Hortos, qui passim rident (vna dempta Iudecæ Insula) præstat in amplo velut Prospectus, & amœnitatis Theatro Situs Equestri Religioni Sacer, dum Herbis vndequaq; Plantis, Flore, Fructu est consitus, & frondosæ Vitis refertus *Botris*, cum Mali copia, præsertim Punici, & Auicularum frequentia, ad dulcem auram; dum demum hic, pro virenti laude,

A 2 ec

et perennem Laurus pandit frondem, et nullus hic latet Anguis in Herba salubris Soli. Sed præter nostrates Herbas, & Olera quæ Vrbano vigent, & vicino solo, habes in Vrbe, pro vt lubet, exteras etiam Montis, & Vallis, Luci, & Campi tot electas simul Herbarum Species, quas opportunè legens, per Lunæ nutum, rustica passim defert perita manus, ad Medicinæ Ius, & Microcosmi opem; nec in alia Continentis Vrbe tàm latè patet Silvestrium Herbarum copia, & Vis.

Varius Vrbi Prospectus est mirum in modum patens, Maris scilicet, & Continentis, vtrinq; maior, vèl ad Famæ obtutum, cuius, præ nimio VENETIARVM plausu & centum deficit Alarum vis, & totidem cedit Tubarum Clangor. Interim plures velut Vrbes de longè prospicis nitore claras ad Serenitatis omen, dum inter Cæli nubila VENETIARVM prospecta Vrbs tot ignibus, vt Astris aucta suis vèl noctu nitet, ceù ad lætitiæ diem, cui varios inter Pinnaculi apices, & Turris, tot ingentes Ædes, & Palatia interius fulgent, & circumquaque tot Sacræ Insulæ hinc indè à longè spectantes plaudunt, dum & Triremium, & Nauium exultant Vela, quæ ob Vrbis oculos Austro, & Orienti patent, vt protensa, & aprica cernit Illiricorum Ripa, sic nuncupata, Commercio florens Prospectu hilaris, & Passu frequens, vt sit Vrbis fauor.

Bina post Littoris Castra, quæ frænent Æquor, & Portum tegant, dum & militares Stationes cogunt, tota sine Mœnibus Vrbs est, vndequàque vt Orbi pateat tuta VIRGO Adriaci Regnatrix Maris, cui & nubit augusta præ gloriæ Dotis, & Potentiæ Cornu; Et sine Mœnibus Vrbs est, quippè Cœlitus MARIÆ septa Gratiarum Mari, & tecta DEIPARÆ Titulo velut Ancili. Sic sine Mœnibus Vrbs est, quæ per MARIAM, eo semper valletur Tutelari *Spiritu, qui super aquas fertur*, vt

vt ditet beans. Hinc talibus sub auscipijs alma VENETIARVM Vrbs in se ipsa Diues, Pulchra, Populosa, Fœlix & Nostratum iugis est amor, & Exterorum est velut Magnes; si & Exteri, qui VENETIAS diuq; noctuq, per annum confluunt, pro Genij vel Negotij nutu, cum sint benè visi, culti, ac tuti, Patriam hic velut nanciscuntur omnes. Quid? Si VENETIIS, pro Vrbis amplitudine, vèl ipsi magni Principes, qui externis ab oris appellunt passim, ceù Priuati, & ignoti, ad nutum, degunt, aurea nempè libertate freti.

Porrò ingenuæ Libertatis hocce in Asylo, prisca Patrum Religione sacro, haud licentia regnat, ni more correpta, & almo ritu Iustitiam inter, ac Pietatem binum Vnicæ huius Vrbis Polum, Orthodoxa firmatum Fide, quæ hic altè colitur Templis, Delubris, Claustris, & Corde magis. Claustra verò, quæ VENETIIS ritu, & Ortu clarent, pro vt Religionis Ordo flagitat, insignes passim colunt Cœnobitæ, & Sacræ Vestales Instinctu nobiles; Dum sic vterq; Sexus spontè, ac liberè Mundo renuncians, & eius pompis, delicijsq, sub arcta, sed dulci Institutoris Norma soli DEO in Cellis seruire studet, vt Cœlis regnet.

TEMPLA hic, quæ cuncta penè Structura eminent, & Fastigio turgent, intus Splendore nitent, & Cultu feruent, necnon Prece resonant, ad dulce Melos, & fragrans Thus. Titulos quæq; ostentant Templa, & Paræciæ suos, illustres omnes, quos inter rutilat in Petri Petra Patriarchalis Apex, ad Cleri normam, Lumen, & Columen. Vt hinc Cleri dignitas, et sublime Decus pro floridæ Congregationis Serto, ad CHRSITI odorem VENETIIS præstet Numero, Gradu, Virtute, & Exemplo simul. Cum in Orbe ad Christianæ

Vitæ carpendas Vias sit Clerus Lux, & ad Populi condiendos mores sit Clerus Sal. Vt sic Christiadum Orbi certatim Clerus clareat Exempli *Luce*, dum *Sale* sapit.

Vt verò VENETIARVM in Vrbe, Iustitiæ prorsus societur Pietas, ad Excelsi Numen, ipsa Inclyti Ducis Regia, quæ velut aurea Domus & Iustitiæ est, augusto Marciano Templo inhæret tota, vt ibi inter Artis, & Formæ monstra, ad Auri, Lapilli, & Marmoris ostentum, nec non Cultus fulgorem, in *Sanctitate, & Iustitia* frequens, feruens Pietas Litet DEO. Vt sic inter geminum ingentem Thesaurum, qui Ducali hoc seruatur in Templo, maior sanè Thesaurus sit Pietas. Cuius intuitu, tot extant in Vrbe Xenodochia, Confraternitates, Pia Loca, Stationes, Indulta, Suffragia, Sacræ Reliquiæ, & Sacra Mausolæa, Oratoria, Sacella, & Sanctuaria, vbi per Mystas *Hollocausta Medullata* in dies fiunt, & vbi Venerabile ostentatur Sacramentum, vt inter suos Liturgiæ ritus, & mille luminis, ac pietatis radios, sub Fidei Velo sublimè fulgeat æternus Iustitiæ Sol, qui per Vrbis velut Orbitam Sacro fertur Processionis Triumpho, Cleri humiliter comitante Cœtu, & OPTIMATVM, Nolas inter, & Tubas, ad Tormenti plausum; id quod & in alijs VENETIARVM Insulis, seù Paræcijs, ad Cleri, & Populi Æmulationem celebratur passim solemni Pompa, vbi si Sexus vterq; pietatem enixè colit, Fœmineus est deuotè frequens. Nec VENETIARVM in Templis desunt iugiter Sacra Rostra, quæ per Egregios Verbi Dei Præcones, ad Vrbis, & Populi Ædificationem feruidè, doctè, ac piè recreent Fructu, Flore; nec nisi resonent Verbo illo, quod ritè per aures feriens Cor, pro salute est efficax Animarum. Quid? VENETIARVM in Templis

&

& Christianæ Doctrinæ feruida *Palæstra* est, vbi pro Fidei Albo strenuè certantes *Pueri* , ad *Præmij spem* , Victores ouant Laurea insigniti per Vrbem plausu . Coronatur VENETIIS *Pietas* Eleemosinæ velut Serto florido , fæcundo nimis , quo quidem tot Religionis Claustra , tot *Pia* Loca stant , tot fouentur Cathecumeni , tot redimantur Captiui , tot in dies aluntur *Pauperes* , & Egeni & clàm , & palàm ; nec vlla vix regnat Christiani Orbis Vrbs , quæ Charitatis Officio VENETIIS præstet . Cùm hic altum iugiter *Prouidentiæ* Numen Templo colatur suo,per munificentiæ opus,vt sic Elleemosina de noxis , & Ærumnis triumphet iure , damna penitus, & vitæ pericla domans ; cum in sinu Pauperis sit Eleemosina velut almæ tutelæ Telum ęque , ac *Scutum* . Hinc ipsa inclyta Ducalis regia , quæ Columnis vndiq; fulta , & sculpta consurgit fastu , & marmorea Gigantum munitur *Scala* Martis inter , & Neptuni *Simulacrum* intusq; forisq; maiestatem spirans Aurum inter , & Laurum Trophęis etiam aucta , & Opimis *Spolijs* , *Pietate* , ac *Sapientia* exultat potiùs , quàm Armis tuta , & Custodijs tecta ; tantę Molis est in verę Fidei , ac Religionis ritu , et Cultu stare VrbisRegiam et Regiæ Vrbem ; Dum ipsi Regiæ , pro Veneto Libertatis Sceptro annexus ritè stat et Iustitiæ Carcer Marmore, et Ferro tutus terrens , teter, squalens , cui proin ab Astreæ Regia duro pro transitu deseruit *Suspiriorum Pons* .

Proin VENETIIS , vbi in summo viget *PIETAS* ad æterni Numinis nutum , steriles vèl inter *Sali* vndas et nihil vnquam deest , et totum semper afluit per Confluentiam , quæ omnigena hic est in dies ter auspicatò , ceù ad nostræ Italiæ Caput florentis Europæ in *Sinu* . Vbi pro Inclyto VENETIARVM Dominio , si ad Orien-

 tem ,

tem, ad Occidentem, ad Aquilonem, ad Austrumq; amplæ, & illustres Terraq; Mariq; patent Vrbes, Regiones, & Regna VENETO altè subiecta IMPERIO, ad Orientem maximè VENETIS auspicijs, & Sceptris clarum; ad Austrum panditur Adriacum Mare per amplum Sinum, seù Mare superum, cui tot inter Fluuios deseruit Padus, Medoacus, Athesis, & Anaxius, & quod Caput est, altè Nauigatio seruit tùm Mediteranei Maris, tùm et Oceani. Quod si Flumen in Vrbe Munit, Sanat, Ditat, & Ornat, quid non boni VENETIIS flat, vbi sunt velut tot Flumina, quot Riui, Nautici omnes, & Fluxu læti? Dein pro VENETIIS Stant quatuor simul Elementa, quæ Donis referta suis prælectæ huic Vrbi certatim fauent, nec vltrò hic sunt tàm æqualiter inter se pugnantia, nisi vt Artem æquè, ac Naturam foueant propitia nimis. Sic totum pro Victu vèl ad Delicias, pro Cultu ad pompas Terra, Mari, Æthere, Natura, & Arte exundat satis, per quatuor anni Tempestates, quæ gratis Vrbem suo fœtæ munere fructu beent, iugem propè inter Cœli temperiem, & Temporis comitatem, ipso arridente Poli Axe in Meditullio, Graduum nempè 45. Et huic ipsimet Axi pro temperie, Precariò, sua, ad piæ Vrbis votum, miranda DEIPARÆ præest Icon, velut Cœli Clauis præclara nimis, prætiosa nimis;

Vnde pro Votis referetur Vrbi
Æstus, & Imber, Vita, Salusq:

Sic iure VENETIIS tener est nimis in Virginem MARIAM amor, constans in DEI Matrem pietas, Feruor, Cultus.

Quò quidem Axis metro, ad DEI, et Naturæ peculiare Donum, in VENETO Emisphærio signanter viget Corporum Constitutio, et Ingeniorum pro Genij Studio, ad

vtramq; Palladem, ne suis præualeat in Vndis Venus, correpta siquidem inter Apollinis Laurus, et Esculapij, dum hic et Academi Nemus resonat ad Platonis auram, idq; sanè pro virili Sexu in primis, si pro Femineo suum militat Domi quotidie Pensum, contra Cupidinis Tela vt tollatur Otium, per dulce honesti ac prouidi laboris onus. Nec sua silent in Vrbe Collegia, Gymnasia, et Bibliotecæ, pro Latina pariter, et Græca Minerua Sacræ etiam Noctuæ, cui, ad Sapientiæ Tripodem, pro Antenoreo Lycęo VENETI auspicantur Reformatores. Sicut in Vrbe, pro Mercurij Gallo, et Marsupio, pręter tot Artis Inuecta, Industrięq; munia, (Serici præsertim, Margariti, Lanæ, Christalli) et Mercium Officinas, totque Loca, vbi tractant Fabrilia Fabri, et vbi omne vęnit Comestibile, ad Bacchi, et Amalthææ Cornu, siluestre etiam, iugi pro venatione, et Piscatione, variæ hic patent Telonij, et Emporij situs, quos inter suum colit Germana Natio, ad fidum Cor, et feruens Lucrum, nec in Vrbe pro Commercio tepent Græci, Dalmatæ, Epirotæ, Illirici, Angli, Galli, Flandri, Hollandij, et aliæ Nationes, Æthiops etiam, Armena, et Iudæa, quæ hic frequens degit, Gremio vulgò Ghetto, amplè, et aptè protecta suo, et Commercij velut Centrum est Riuui Alti Insula, Vrbis Primordium.

Inter VENETIARVM raritates, quæ in raro Vrbis Statu excellunt variè, præter tot Sacras, quæ in Templis, ac Delvbris sunt, præstant Musæa, Picturæ, et Simulacra egregij Cultvs, maximè in OPTIMATVM Domo, vbi, si Æs, et Marmor profusè clarent, Aurum, et Gemmæ nitent, nec non Argentea passim Vasa, dum affluit regia Suppellex. Inter verò Vrbis Solemnitates, quæ per annum fiunt, quatuor signantur Iouis Dies insignes omnes, nempè pro Bacchi tempore Dies, quo Tauri obtruncatur caput; Sancta in Hebdomada Dies, quo pretio-

sius

sus DEI HOMINIS adoratur Cruor; in Ascensionis Festo Dies, quo auguste desponsatur Mare; et Dies quo Corporis Christi almus, et frequens Triumphus est, Sacra inter Lumina, et Pæana feruens. Dum demùm VENETIIS inter solemnes Pompas inclyti Ducis celebratur feruidè Creatio, et Funus: si & VENETIIS, vt in toto Orbe ad æterni Motoris nutum, nec Regi, nec Principi, nec Plebeio parcens, Vtriusq; Sexus Carnem, vt Fœnum metit iugiter constans, et æqua Mors: sic Mortalium ossa, quæ Fastum doment, nec Sorte differunt, nec gradu æquata Solo; ni paret Sepulcrum Mare ventorum libito, si VENETIIS ad auram patent venti notitia Virtute, & vis sed & in Mundi Pelago velut *Ventus est Vita nostra*.

Superiùs dixi, per quatuor anni Tempestates VENETAM beari Vrbem, id quod per se obuenire valet, stante siquidem Poli medietate, quæ hic arridet: ni per nouam Axis Constellationem, quæ nimis durat, sæpiùs turbetur, Ordo, si nostræ quidem Italæ partis sub Cœlo quatuor anni Tempora sic ferè, regnant, vt inter ipsa prædominetur Æstas, & Hyems magis, dum Ver, et Autumnus Sceptro vix pollent suo. Sed variæ Temporum sic volvuntur vices, & *nihil sub Sole nouum*: VENETIIS igitur, pro Optimatum, & Ciuium Gradu, stat vnà cùm præstanti Corporum habitudine Animi candor, et celsitudo, vultus affabilitas, et fauor Victus, et Cultus nobilitas, et præstantia, cum expolito Idiomate, ac Ædium nitore, nec non Morum suauitas, et disciplina, pro aureo Libertatis Regno; Vbi si Cultus elegantia, et Forma præstat Muliebris Mundus hac libera, et Læta in Vrbe tutus, pro Optimatum decore Gradum distinguit Stolæ Color, ad Equestre etiam Munus, et præclara Familiæ Stemmata Domi, Forisq. colit Virtus, et nūquā non; dum tamen per annum statis horis honesta facit et otia Ludvs, ad Sortis, et Ingenij vim. Nec desvnt per annum

num Optimatum Conuiuia, Ducales maximè inter Dapes, vbi, ad regium pompę, et Lautitiæ munus, Falernus passim, et Creticus triumphet Humor, si ad Bacchi tempus in Vrbe et Choreæ regnant, quæ tùm priuatim, tùm publicè instituuntur Solemnes, vbi, ad Charitum regulares, festiuos Saltus, Luxus, Laruas, Lepòres, iocos, inter honoris, et lætitiæ, Ius Plectro eleganti, et plausu pulset Apollo Chelym, Quod si VENETIIS vel celebris Chorææ, vel regiæ Solemnitatis ratio in auri splendore, gemmarum saltu, et vestium ornatu excessum parit, ad publicæ lætitiæ Diem: per annum quidem in Vrbe ad prouidæ Censuræ Notam strictè, ac Seriò iugiter vetantur Pompæ. Heneta verò Nobilitas, quę prisco Sanguinis clarescit gradu, et virtutis merito coruscat nimis, alto in semet propagatur Fœtu per Æui prælongam seriem, ac veluti Sol radijs iugiter augustior suis per Aggregationem etiam procreat nitore Gentes, et proprio fouet splendoris Cœtu, Patricijs almo.

Quòd ad annuum tempùs hilaritatis suum, Veneta in Vrbe pro Bacchi Ludis, et Laruarum Cursu feruido, festiuo nimis, pręter Marciani Fori oblectamenta et Scænæ obstrepunt, tùm ad Comicum lepòrem, tùm ad Tragicam grauitatem, et Theatra etiam condit ipse Apollo Plectris, ad Musæ Cantùm, pro vatis lùdentis Æstro. Pro equestri autem exercitatione, ad nobilis Iuuentæ decus, et Belli mùnus, Equile VENETIIS Palestrę floret suę in aperto situ, vbi in dies spectatę Indolis edomentur Equi, et vnà Equites instruantur, non sine hilari spectantium plausu. Pręter Equos, Armenta, et Iumenta ad vsum, Vrsi etiam Cerui, Caprę, Cuniculi, Scimij, Grues, Aquilę, Struthiones, et Psittaci VENETIIS ad plausum degunt, pręter Colvmbas, et Pullos, qui passim gignunt, et inter Auiculas, quę blanduntur Cantū.

Lu-

Luscinia, vt studiosè cūlta satiùs, quàm in filuis excellens voce aures, et Cor vèl in Mari mulcet. Sic Altilia VENETIIS Natura, & Arte hilarè, ac frequenter regnant, si, prae soli, & aeris correctione, rarò Insecta volitant, rariùs Vermis, rarissimè Serpens reptat. In Populari Gente suum viget obsequij studium, et alacritas, ad moris normam, et Vrbanitaris nutum, nec nisi Fides, et amor pro regię Dominationis Sceptro, VENETA in Plebe regnat cùm Nautici, tùm terrestris Genij. Cum tamen VENETIARVM Plebs, inter OPTIMATVM Curas. studia, vigiliasq; securitate velut pręsumens sua, plerumq; fit gestu nimis. et ore facilis, vt nimis forsan Libertate vtens, ad Virorum libitum, et Fęminarum eius potissimum viuendi moris, cui, vt sit amaror amor, perditè indulget VENVS; Atqui VENETIIS quà Terra, quà Mari, per suauiter frænans DOMINANDI Sceptrum, Popularis semper stat in Officio Libertas, In ipsa etiam Insula, vulgò Castello, quę priscę velut securitatis videtur Æmula, vt olim Castrum.

Sed Nàuicularum Cursum in VRBE quis fari queat? Porrò altę Libertatis, et de Icię hic Cursus est, nec commoditatis minus, si tot Nauiculis vulgò GONDOLIS aptatis bellè tot Riui velut Amnes et vltrò patent, et enixè parent cùm ad otij auram, tum ad Negotij aurum, pro vt lubet; nec vnquam agilitate carent Nauales hi Currus, ad trinum Naucleri vulgatum verbum. *Premi*, *Stali*, *Scia*. Quo quidem ductu, pręter vndę cursum in Vrbis viis Nauiculę traiectu, haud parum breuiatur iter. Inter verò solemnes Nauiculas, quę certatim auro, et christallo micant, ingens eminet aurea Ducalis Puppis, vulgò BVCINTORO, contecta Murice, vbi cum Duce Inclyto inter regia Insignia, ad Tubarum sonum, et

Tor-

Tormenti plurium, amplius vehitur Purpuratorum Cœtus mille inter Nauiculas, ceù ad Triumpham, Sacro maximè Ascensionis Die per augusta MARIS Connubia VENETIIS fulgido, & præ alijs fausto.

Dum lęto hoc temporis interuallo & solemne Pontificium INDVLTVM panditur in Diui MARCI, & celebre EMPORIVM diu patet in Marciano Foro, ad pompam, Deliciumq; non sine florido Gentium Concursu, & Mercium copia; Si Argentum, Aurum, & Gemmę hinc indè sub Tentorij tecto profusè nitent. Nec desunt passim Christallæ egregij cultus, vti & Picturæ, Statuæ, Scrinia, Horologia, Metalli, & Fabriles Artes, Vestiaria etiam. Præter tot Armenta Serica, & Raritates, quæ blandè olent, & præter mille vinncis Formę Obiecta, quæ Genium trahunt, totq; Elegantiæ *vulgò Mode* Venustates, quæ Visum rapiunt. Si deinde et Histrionum spectas ludicra inter Saltus, & miraris vel Hominis, vel Bruti Monstra, aut Circulatorum Commenta, queis bibens aure Vulgus deceptus plaudit. Sed et Astrologi vænales iactât hoc in Emporio voces. Isti sub Sole sic palàm de Astris disserunt, ac si Pugno perstringant Axem; et sua incaßum Arte freti sic Astris fidunt, vt et sæpius fallantur ipsi, et gratis fallant, vel temerè de Futuris fando, vel nostram per Astra coarctando Voluntatem, quæ prorsus libera per DEVM est. Astrorum enim, quæ Conditori parent suo, quæq; in Homine *non cogunt : sed inclinant*, si alta est Vis, per Virum, qui sapit, subiecta est Vis.

Præter Armorum, & Librorum copiam; quæ hic latiùs patet, & præter Mercium, et Artium munia, quæ iam recensui, VENETIIS & Siluæ regnant in Vico scilicet, vulgò BARBARIA, vbi tot extant Laquearium Ligni, & Tabularum, vænalia cuncta; quæ quidem ab Aquilone in-

primis

primis vnà cum ingenti Carbonis copia per Rates toto anno frequenter confluunt. Dum tot Rates ipsæ longis, latisq; constructæ Lignis, post celere ad Metam iter Carbonis Dorso leuatæ iam se vltrò destruunt, vt Ligna cedant sua, ad Vrbis vsum. Vt verò tot VENETIARVM Riui, seù Amnes, qui totam iugiter per Vrbem fluunt, omnes semper Nauigationi pateant, & nitori, & ne materiarum Congeries, quæ per Flumina passim intrat Mare, vias fortasse obstruat, apta quidem Ædificia, queis sedulò hinc indè excauetur Coenum, semper in motu sunt; nec vnquam labori parcit prouida Peritorum manus suis vnà cum Operarijs, dum id grande nimis rei Caput summo studio regunt Aquarum Præsides. Vt sic in Aquis mirabiliter fundata Vrbs, per Aquas etiam seruetur munda, sospes, libera, tuta, fœlix ab illo semper Numine, de quo extat: *In Mari via tua, & semita tua in aquis multis*.

Præter Limphas, quæ Neptuni Tridente hic fusiùs regnant, Imperio velut suo, Aquæ dulces, præ Puteorum copia, et Pluuiæ dono, raræ hic seruiunt, ad vsum omnem, deliciamq; nec desunt Limphæ, quæ de longè, et propè confluunt, ad Balnei, et Medicinæ opem, quas inter Noceræ, Tetuccij, et Abani præstant Aquæ; nec minus Aquę præstant ex Citro, vel alio Fructu confectæ Saccaro in Potu, *vulgò Sorbetto*, vt VENETIIS regnet dulcè refrigerans in Æstate Ros. Nec deest Ceruisiæ potus, *Ptisanę*, et *Caffè* etiam; præter Aquæ vitæ salubris, et *Tabacchi* vsum, qui ad Capitis leuamen valenter confert. Ni Herbarum Regina abusum fortasse pariat, si vèl apud Feminas hic regnat nimis, tot inter odores, qui vrbanitatis gratia et Nari fauent passim, et Luxum fouent: Sed hęc omitto, et

Lim-

Limphas lubenter linquo . Ceres hic , *Pomona* , et Bacchus , Thetis præsertim ope , profusè regnant , et *Vina* cùm nostratia , tùm extera satis, superq; *VENETIIS* vigent præstantia quidem suauitate , et vi , ni limphata cedant ; et prẹter Itala , et Hispana vina , quẹ hic exundant , Grẹca etiam , Sicula , Cypria , et alia appellunt satis , nc *VENETIIS* vlla vix desit prẹlibati liquoris vis.Dum *Vinis* hic, ad lætè saniorem haustum (præ Cellẹ *Vinari*ẹ defectu forsan , respectu Sali) in ẹstu quidem deseruit tutiùs , quam Gelu,Nix.Sic liber *Pater* in *Vrbe* tàm libera liberiùs ouat , ad gustus sensum , et lẹtitiẹ Cor . *Post Vina* , ceù *Pharmaca diuina* , si parcè sumpta , Oleo *VENETIÆ* vberiùs affluunt, Melle , et Lacte satis , vt communis *Victus* lenitatis morem facilius conflet , et vt ad *Scriptur*ẹ sensum , permixtè seruiat *Oleum,& Vinum* pro *Vitæ* ope , et *Mel, & Lac* pro linguẹ tractu, si et Serica verba suadebat Ciri Mater pro Filij more.

Sic iugiter VENETIIS , vbi iam inaurat sua Sceptra Lex , vèl ad *ipsum* Belli tempùs , Pax , et Abundantia floret, Fortitudo, et Decor, Delicium, et Decus, Virtus, et Diuitiẹ,ad Sortis Faustitatem ; si pro verẹ Virtutis Dono , ad Orbis plausum , hac iusta , et pia Serenitatis in Vrbe per auspicij Bonum , altè regnat *DEVS, & Imperium.* Vt hinc pro VENETIIS nullus sit charior honos , nulla dignior laus ; nullum mitius Fatum , si sic imperat DEVS, cùm in vndis hanc suam *Dominus custodiat Ciuitatem* . Quæ idcircò et non visa per Exteros et visa nimis magno semper apud omnes in pretio est ; Vt sic et pro Nominis allusione magis ; magisq; VENETIÆ sonent : VENI ETIAM ; Dum & pro Curiositatis pabulo Dominanti hac in VRBE quà Terra , quà Mari Europæi signanter Orbis Nuncia in dies , & Notitiæ patent . Quod si per

Chri-

Christianum regnans Fœdus, vt nuperis annis euènit sæpiùs, Victoria paritur contra infidos Traces, quid non gaudij VENETIIS est? Sanè per tres successiuè Vices, inter Tubas, & Tympana, ad Nolæ, et Tormenti plausum, sic ardent per totam Vrbem lætitiæ Ignes, vt fermè vertatur in Diem Nox; & inter VENETIARVM Campos, igne omnes, & Festo feruidos, Marcianus voce, & gestu exilit, ceù Triumphis clarus; Idq; totum vnica testetur Viennæ Austriæ Liberatio, quæ adhuc de VENETORVM gaudio miranda signat. Sed si Eois ab oris nouæ, ad Spem, VENETO LEONI floreſcant Palmæ, lætius semper, pro Christiana Fide fructabunt Laurus, si Olea, vt Pacis Arbor Cœlitus florescat Fructu.

Interea hic Armamentarium colitur in amplo Tetragoni situ ter formidandum, si Turri, & Muro velut Æneo præcinctum stat, & ad Limen terret ferrea sui Fronte, ac Leonum obtutu Athenis huc per Trophæum vecto. Intus verò, vbi tot indefesso Operariorum motu, & conatu feruet Opus, tùm Nauales, tùm terrestres iacit Moles, & Machinas terrore fętas per Vulcani maximè immanem vim, quæ horrentia fundit Martis Tela, & Iouis Fulmina, queis strenuè Turcarum teratur Gigas. Dum inter Nauales Belli Machinas, quæ hinc erumpunt, natans velut Castrum Velisq; Remisq. fremens, Armis, Milite, ac Tormentis furens ad Classica, ingens patet Triremis, vulgò *Galeazza*, terroris Monstrum, & Fortitudinis, quo in Mari præsertim VENETA inuicta stet Libertas. Sic per Arma, & Tormenta, Camelos, & Malos, Ignem, & Ferrum præstat iugiter hæc ingens Martis, & Bellonæ Arx, quæ Vigilantiæ nutu, ad bonum regimen, Prouisores, & Patronos ostentat suos, & impensè colit, ne hic extet inter assidui laboris vices, & rerum Moles,

ni

ni totum semper rectè dispositum, & ritè peractum, ad Patriç çquè, ac tutamen Fidei, pro cuius velut Triumpho tot hic extant de Hoste Trophæa, & opima Spolia. Hinc & Reges, & Principes, quos VENETIARVM traxit Vnda, Libertas, honor, amor, mora, & trahit passim, vt omnes vltrò gratię, ac demirationi stent, herclè rarum omne, quod de se exhibet tota VRBS, vnicum hoc perficit Munimentum, Inuiolatæ DEIPARÆ auspicio suę & illustre magis, & inuictum millies.

Cœterùm Inclytę VENETIARVM VRBI vt longè, latèque dominetur quà Solo, quà Salo terq; quaterq; fœlix inter Subditorum plausum, Fidem, Studium, per Aristocratiæ munus *Imperium sine fine datur* Sapientia conditum, & Prouidentia, queis Armis dum tautæ Vrbis beatur Sors, per VENETOS Heroes iustos, pios, fortes & iuge Alcorano resultat Bellum, & tuta Euangelio exultat Pax religiosa, & insigni hac in Vrbe, vbi priscos ceù Romæ inter Quirites si cedunt Arma Togæ, Toga sanè Armis præualet, ad Belli Instinctum, maximè contra Infideles; queis si Potens, Sapiens, & generosa RESPVBLICA Terraq; Mariq; denunciat Bellum, & per tot annos maximo colit sumptu, VENETA semper Classis, Cœlo auspice, portendit Cladem. Vt sic ad Diuorum Tutelarium MARCI, & THEODORI Vexilla & alma veræ Fidei deuincat Lux, & Christi adorabilis triumphet Crux VENETO in Capitolio augustiùs suo, vbi per gloriæ Facinus exaltatur ouans & Romanæ Ecclesiæ Caput, infenso præpotenti depresso Hoste, per VENETÆ Religionis vim, & Potentiæ CORNV, vt sic & ad Italiæ securitatem VENETA constanter decertet Pietas;

Et Venetùm vincat diuino Cuspide Virtus,
Insigni gaudet dum Pietate DEVS.

Spe-

Spectator, iam, qui VENETIARVM Vrbis regium omnem perpendis Statum hic velut ex magnanimi Gentilitij LEONIS ostensum Vngue, in tui promotionem Iudicij, vt rectè sentias, ac ritè, euocatam vides ab Astris Astræam, cui frequentes in Vrbe, gradu, ritu, ac ordine Magistratus, omnes, & singuli ostendunt Virum, vt hinc Iudices in Vrbe excellant altè,& Forum resonet velut Tulliano more ad constans, & perenne Ius tum Rei,tùm Capitis.Sed & Inquisitores,Censores, Prouisores, Prætores, & Præfecti VENETO emergunt Coetu, qui omnes Terraque Mariq; Astrææ velut Numine beent Vrbes. Sic potens Adriaci Regina Maris sapienter Constans Ensem inter & Lancem, Ius tutatur cuiq; Suum, ad Vrbis, & Orbis specimen, et pro Meritorum gradu, ad inuictum semper munus, & augustum Poenas æquè statuit, ac Proemia, vt sic VENETIIS semper ad faustum omen pro inconcusso Dominij statu: *Sacrificetur Domino Sacrifitium Iustitia*. Quod si tot inter sacras Astrææ Stationes, ad Maris,Terræq; Bonum, pro Fide Ortodoxa patet constans almi officij Tribunal, VENETIIS viget Magistratus ad immortalis DEI Nomen, & Numen accerrimus in Flagitia Vindex; & Potestas excellit summæ rei indagini Supremè stans ad inclytum DOMINII Pondus. Dum Stola eminet Aduocatiæ Ius, si Vigilantia nimis, Solertia, Rigore, Zelo,Salutis præstat, et Ærarij publici Magistratus. Nec deest in præcellenti hac VRBE sub aureo velut Tecto, ad Serenitatis auram,Inclyto Duce auspice, almum COLLEGIVM, Vbi REIPVBLICÆ librentur Iura, et ea, quæ Pacis, ac Belli sunt, expediantur cuncta tum Maris, tum Continentis, tum extera, tùm interna, per Sapiens actu COLLEGII verbum, quod ora verentur Principum, et Legatorum maximè

Eu-

Europæi Orbis , vbi viciſſim , tùm Pace , tum Bello VENETORVM Legati ad Reges , et Principes Conſilio æquè pollent , ac ſplendore nitent .

Verùm, et Areopagùm ſuſpicis hac ipſa in VRBE inter almæ Nemeſis velum , et Peplum Veſtibulo contectum Sacro , prophanis procul , ipſa Fores tuente ASTRÆA , quæ hic altè præeſt ; vbi per Decem Viros Maieſtate ſultos , et Poteſtate in Conſilij Arcano ſupremum ſeruatur Ius , quo quidem Ipſi vt Iudices æquè , ac Patres timorem pariter , et amorem ciunt . Dum pro Patriæ Bono, et Orbis plauſu , ad Decem eximium Decus , et vnanimi ſemper ritu ,per Recti votum , ter iuſtus , ſapiens , vigil præcellit Capite T R I V M V I R A T V S .

Dum verò aurea ſanctiori in Æde , ac ſecretiori , vbi inter rarum omne præclarum nouus pinxit Apelles , ad gloriæ Cœlum , ſedet pro Tribunali ASTRÆA, Murice præcinta , et auro in ampliſſimo OPTIMATVM Conſeſſu auguſtè regnant Magni Conſilij Vota , quæ quidem præſtent , ad vniuerſale Virtutis pretium , et Dominij pondus . Sed quod in Arcano Maieſtatis publicæ eſt Caput , hic ab Excelſi VENETI SENATVS Solio , Delphico velut Delubro , tot promanant Sapientiæ Oracula, quot C O N S V L T A , nec niſi Sanctè Sancita ſemper V E N E T I S E N A T V S Iudicia ſuſpexit Orbis . Hinc Spectator tu , omen capis omne fauſtitatis,quippè VENETAS per Sanctiones , et Leges Cœlo Æquè , ac Mundo claràs , vt ortas Numine pro Aſtrææ Sceptro,nec non Clementiæ Serto (queis Dei Donis VENETO Orbi inauretur Æuum) ad inuictæ REIPVBLICÆ immortale Decus , iuges inter Pacis , et Belli Triumphos , Religionis merito in virtute partos , Regnum hic conſtat auguſtum , æuiternum , incomparabile .

Sed

Sed hic pro Coronide puræ Veritatis, ac Fidei subscribat Albo mea hæc Descriptio; dum celebris VENETIARVM Vrbs priscę Nobilitatis è Sinu claris orta auspicijs, et ab ipsomet Ortu aureę Libertatis præcincta Dono, per Æui prælongam seriem, tot inter Bellorum motus, et rerum Vices, tota sine Mœnibus est tuta semper Inclyta Regnatrix VIRGO, æquis ADRIÆ præpollens Sceptris. Sic Sapientiæ ductu, et Prouidentiæ vltrò semper vndequaq, expositæ, et non nisi septæ Aquarum Fluxu, vt mirum in modum vallentur altè, Pietatis, et Iustitiæ Cultu VENETIÆ iugiter apud Deum exorant: *Muro tuo inexpugnabili cirtumcinge nos, Domine, & armis tuæ Potentiæ protege nos semper.*

FINIS.

DE

AVGVSTA

VENETIARVM

REPVBLICA

DISTICHON.

HÆc ASTRÆA potens æquat dum pondere Regna,

Et Belli, & Pacis IVRA beando regit.